

LIBER

tum nititur. Aquatiles aut piscium natura, & tempo-
 rata sunt a calido, plurimūq; ex aeris et terreni sunt
 cōposita, sed humoris habet oppido q̄ paulū, quo mi-
 nus habent è principiis humoris in corpore, facilius
 in humore perdurant. Itaq; cum ad terram perducun-
 tur, animam cum aqua relinquunt. Item terrestria,
 q̄ è principiis ab aere caloreq; sunt temperata, mi-
 nusq; habent terreni, plurimumq; humoris, q̄ abun-
 dant humide partes, non diu possunt in aqua uitam
 meri. Ergo si hæc ita uidentur quemadmodum pro-
 posuimus, & ex iis principiis animalium corpora cō-
 posita sensu percipimus, & exuberationibus aut de-
 fectionibus ea laborare dissoluiq; indicauimus, non
 dubitamus quin diligentius queri oporteat, uti tem-
 peratissimas cœli regiones eligamus, cum querenda
 fuerit in mœnium collocationibus salubritas. Itaq;
 etiam atq; etiam ueterum reuocandam censeo ratio-
 nem. Maiores enim è pecoribus imolatis quæ pascer-
 bantur in iis locis, quibus aut oppida aut castra stati-
 ua constimebantur, inspiciebant iecanora, & si erant
 liuida & uitiosa prima, alia imolabant, dubitantes
 utrum morbo, an pabuli uitiosa læsa essent. Cum plu-
 ribus expertierant, & probauerant integram & so-
 lidam naturam iecanorum ex aqua & pabulo, ibi cō-
 stituebant munitiones. Si autem uitiosa inueniebāt,
 inditio transferebant, idem in humanis corporibus
 pestilentem futuram nascentem in iis locis aquæ abiq;
 copiam, & ita transmigrabant, & mutabāt regiões,
 quærentes omnibus rebus salubritatem. Hoc autem
 fieri, uti pabulo ciboq; salubres pprietates terræ ui-

Rationes
 falsæ